



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

1 An sit neceßaria aliqua bona corporis dispositio ad communionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

dispositionem. Sequitur ergo, vt dicamus de his quae conuenientem corporis dispositionem iniungunt. Possumus autem hic triplicem dispositionem distinguere: antecedentem, concomitantem, & consequentem, & quaelibet harum esse potest, aut priuatiua, vt abstinentia cibi & potus, aut positua, vt actus aliquis, aut decens corporis ornatus. Denique in his omnibus considerari potest, quid ex natura rei sit necessarium, quid vero ex Ecclesiae praecipio. Haec igitur omnia breuiter attingemus, & obiter declarabimus externum ritum in vsu huius sacramenti seruandum.

## SECTIO I.

*Vtrum aliqua corporis bona dispositio necessaria sit ad hoc sacramentum suscipiendum.*

**D**ispositio corporis positua, de qua loquimur non potest intelligi, nisi aut in veitu, aut in habitu externo, aut indecete corporis compositione, seu exteriori actione & gestu: nam praeter haec non potest aliqua corporis qualitas excogitari, quae ad digne communicandum necessaria sit, qualis est sanitas aut pulchritudo, vel aliquid eiusmodi: haec enim, vt per se constat, necessaria non sunt, nisi fortasse interdum propter vitandam aliquam indecentiam, de quo dicemus sectione sequente. Deinde supponendum est de huiusmodi corporali dispositione nihil esse diuino iure positum: tale enim ius, neque scriptum, nec traditum est: quoniam vt Augustinus dixit ep. 118. c. 6. & significauit Conc. Trid. sess. 21. c. 2. in his, quae ad modum dispensandi hoc sacramentum pertinent, & sunt extra substantiam eius, Christus Dominus nihil statuit, sed eam potestatem Ecclesiae commisit.

*Augus.  
Conc. Trid.*

*2. Concluf.*

Secundo dicendum est, iure etiam Ecclesiastico nihil esse ferre in hac re statutum: nulla enim specialis caremonia praecipitur, neque quoad corpus vestimenta, neque quoad aliquam corporis actionem, seu gestum, aut ritum corporis. Probat, quia nullum decretum, de hac re scriptum inuenitur, neque Ecclesiastica consuetudine aliquid huiusmodi introductum est, vt experientia conitatur, & statim amplius explicabimus. Solum quoad Sacerdotes, quando extra sacrificium communicant mortuorum inuenio praecipitur in Conc. Brach. III. cap. & habetur in ca. Ecclesiastica. 23. d. vt stolam super vtrumque humerum impositam habeant quando communicant, & poena excommunicationis ferenda imponitur eis, qui hoc non obseruant: quae lex videtur etiam nunc vsu recepta & seruata. Sed in primis, si verba illius decreti attente expendantur, non videtur generaliter hoc praecipere, sed, cum Sacerdos, inquit, ad solemnia Missarum accedit aut per se Deo sacramentum oblaturus, aut sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus. Quae verba sufficienter videntur intelligi de Sacerdote communicante in Missa, solemni ritu. Et ita exponit Nauar. in Sum. c. 21. nu. 5. 4. cum Syluest. verbo, Sacerdos. §. 4. contra Angelum eodem verbo. Sacerdos. §. quia textus loquitur de communione corporis, & sanguinis. Ita etiam exponit Iacobus de Grassis, li. 2. suarum decisionum, c. 40. nu. 2. Vnde concludunt hi auctores, non peccare mortaliter Sacerdotem non celebrantem, communicando sine stola ob infirmitatem vel aliam rationabilem causam. Tamen Glossa dictum textum intelligit de communione extra sacrificium. Quod videtur magis consentaneum illi distinctae locutioni, qua Conc. vtitur. Nec refert, quod loquatur de corpore & sanguine, nam olim extra sacrificium etiam ita communicabant: tamen, hac etiam admiffa expositione, non videtur obligare sub mortali, secluso contemptu: quia res non est admodum gra-

uis, nec communi vsu videtur eo sensu recepta, cuius signum est, quia, licet interdum omittatur, nunquam ob hanc causam Sacerdos ab Episcopo puniatur, nec scandalum inde oriri solet. Imo viri etiam timorati solent hoc omittere facile, quando commode seruari non potest.

Vltimo dicendum est, in vsu huius sacramenti in communi solum dici posse, ex iure naturae illo corporis habitu & compositione accedendum esse, qui animi reuerentiam ac deuotionem per se ferat, neque aliquid aliud esse in hac re praecipitum. Primum constat, quia illud principium traditum a Paulo ad Corinth. 11. diiudicandum esse corpus Domini ad communem cibum, non solum quoad interiorum dispositionem verum est, sed etiam quoad exteriorum similitudinem: nam sicut exterior reuerentia signum est interioris huius, & religionis, ita e contra indecens ac vulgaris sumendi modus, indecens, aut irreuerentium animum indicat. Praeterea, quae supra docuimus, debent huic Sacramento, non solum internam, sed etiam externam venerationem, & adorationem; quia Christus medijs speciebus inibi quondam modo in eo exiit, atque tractatur: sed adhuc exteriorum cultum pertinet exterior deuotio & reuerentia, quae in illius sumptione seruanda est. Denique implet actus suscipiendi sacramentum, est actus sacer, & religiosus, & ex eis alijs hominibus manifestus, ergo ipsa ratio virtutis, & honestatis religionis postulat, vt decenti modo fiat, ergo eadem ratione necesse est, vt is, qui accedit, in ipso habitu & actione corporis conuenientem, ac decentem modum seruet, quem optime tractat Cyril. Hier. Catech. 5. Myiag. vbi inter alia inquit. Pronus accedat adorationis in modum ac venerationis. Et similia legi possunt in Damasc. 4. de hie. c. 14. & hic etiam optime accommodatur, quod dixit Cypr. in expositione orationis Dominicae: Placendum esse diuinis oculis, etiam in habitu corporis. Posterior pars assertionis ex illo generali principio probanda est, quod cultus exterior ex natura rei non est dehnitus, & ideo in parte seruanda est ecclesiastica consuetudo, quae pro locorum, & temporum diuersitate varia ac multiplex fuit, vt late tractat Claud. de Sainct. repet. 9. c. 7. & in superioribus agentibus de reali Christi praesentia in hoc Sacramento nonnulla attingimus. Quod vero nunc ad mores attinet, ritus Ecclesiae hac in parte est simplicissimus, atque omnibus notus: ille ergo seruandus est, neque alia indifferetia caremoniae suae introducenda: id enim non carebit aliqua culpa, quamquam, secluso contemptu & scandalo, nihil in hoc ritu sit, quod obligationem mortalis culpe inducere videatur. Duo vero poterit hoc loco inquiri. Primum, quo loco possit licite hoc sacramentum sumi. Secundum, a quo mittitur, sed de priori dicemus infra agentes de loco sacrificandi: de posteriori vero agentes de obligationibus mitti- firi dispensantibus hoc sacramentum.

## SECTIO II.

*Vtrum sit praecipitum accedendi ad hoc sacramentum sine ulla corporis macula, ex pollutione vel aliunde contracta.*

**P**ostquam dictum est de positua dispositione, dicendum sequitur de priuatiua, quae ad duo tantum capita reuocatur: quae sunt carentia corporalis maculae, & abstinentia cibi & potus. De priori multa in particulari tractantur a scriptoribus, vt de ijs, qui passim sunt pollutionem, de coniugatis, qui copulam licitam habuerunt, de foemina menstruaris, seu quae ante bene tempus pepererunt, de leprosis, & similibus. De quibus omnibus in primis separanda est culpa ab externa macula, vt in comment. artic. 7. adnotauimus: nam, si mortalis culpa adiungatur corporali